



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs I. De vita in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

citiam anni distinctionem, mirabilem illam alterationem, ac seriem generationum, & corruptionum ex ea distinctione dependentem, fluxus, & refluxus maris, aliosque non paucos effectus, de quibus supra, illico cessaturos? Atque ideo certe dixit Plato in Teæreto: quousque solis circuitus perseverat, omnia tam Deorum, quam hominum sunt, atque servantur. Sin autem hic quasi ligatus staret, confestim omnia dissoluerentur, eueniretque quod dicitur, sursum deorsum omnia. Ex parte etiam non necessarium: quia ut verbigratia ignis immotus vrit, & aqua infrigidat: similiter, quin moueatur, utque etiam magnes sine vlllo motu suo præuio ferrum attrahit; cur etiam cæli, licet non mouerentur, non possent nihilominus in hæc inferiora operari? & quidem quod possent, tuentur Scotus in 2. distinctione 14. quæst. 3. Argenti- na ibidem art. 2. Richardus de Media villa dist. 3. circa 3. princip. q. 5. & Durandus in 2. dist. 15. quæst. vlt.

39:

Pari ratione dicendum est, cessante cælo-

rum motu, & operatione in corpora subluna- ria, quasdam horum actiones cessaturas, & quasdam perseveraturas. Cur enim nihil in- fluente, aut operante cælo, lapis non rueret in centrum, candor non immitteret species, lumi- nosum quoduis lucem longè, latèque non diffun- deret? At verò cum sol, & homo generent ho- minem, quomodo posset homo per se loquendo; sine concursu solis hominem generare? Quum etiam probabile sit iuxta dicta superius lib. 4. tract. 7. c. 2. quamuis etiam generationem substan- tialem, licet non sit viuientis à viuente, sed non viuientis à non viuente sibi simili verbi gratia ignis ab igne vendicare sibi, ut causam efficien- tem partialem cælum, ac sydera; horum deficien- te influxu, an non necessario deberet deficere, & intermitteri? Demum si ipsamet terra rectè dispo- sita in visceribus suis producit metalla auri, argen- ti, &c. cum ad ea producenda non sufficiat se sola, & non concurrentibus corporibus cælestibus, quomodo, quæso, possit sublato tali concursu ta- les, tamque nobiles effectus producere?



LIBER DECIMVS,

DE

Corpore naturali animato, siue viuenti.

TRACTATVS PRIMVS.

De Vita incommuni.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Vita?

I.

COMMUNIS; & recta methodus postulat, ut in explicandis rerum ge- neribus ab imperfectis ad perfectiora gradus sit: vnde explicato corpore corruptibili, prout ab animato, & ina- nimi abstrahit, necnon corpore incorruptibili, & cælesti, quod animæ omnis expers est, tantum su- pereest, ut corpus animatum, ac viuens, utroque perfectius explicetur: id autem commodius fieri nequit, quam si de vita incommuni; deinde de vita corporis, siue anima corporea; mox de vita vegetatiua; ac tandem de vita sensitiua si- gillatim, ac suo ordine agatur. Hæc ergo qua- tuor tractatibus complectar, quibus absolu- tis tota huius libri series, necnon vniuersa Physica finem sunt habitura. Porro autem ut ad titulum capiti huic præfixum propius accedam; non omnia proprie viuere, sed aliqua hac prærogatiua carere omnes tanquam lumi-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

ne naturæ notum supponunt, vbi in serie præ- dicamentali substantiam in viuentem, & non viuentem discescunt: idque etiam tanquam indubitatum edocet Magnus Augustinus in li- bro 65. quæstion. quæstione 26. ibi: *creatura plus scilicet videtur in arte, qua facta est, quam ipsa in se ipsa, qua facta est: propterea enim ait Euangelista Ioannes: quod factum est in ipso vita erat: omnia ergo, qua facta sunt, & vitam non habent, in ipso Verbo Dei vita sunt, in seipsis vita non sunt: cælum, terra, lapis vitam non habent, & tamen in Deo vita sunt.* Ut autem Philosophi, præsertim Recentiores viuentia à non viuentibus discernant rationem quandam vniuocam vitæ ut sic commi- niscentur, in ea que explicanda nemo eorum alte- ri, nemo sibi consentit, ut vel hinc perspicue ap- pareat, eam fictitiæ esse: quocirca anteaquam vitam per eius species explicem, communem il- lam rationem prius euertere libet nonnullis argu- mentis, quorum primum sit.

Vita physica, qua Plantæ viuunt, est pro- prie vita, ut capite sequenti constabit: & vi- ta intentionalis, qua cognoscimus, & volumus, est

G g 2 etiam

21

etiam propriè vita; vt nemo non fatetur: at ab vtraque ratio communis vniuoca vitæ nullo modo abstrahi potest: ergo ab omni vita, &c. Maior, & consequentia probatione non egent. Minor verò suaderetur: quia similitudo intentionalis, qua cognitio obiectum refert, & exprimit; ac similitudo physica, & prædicamentalis, quæ in consensu prædicatorum consistit, ita comparatæ sunt, vt ab iis vna ratio communis vniuoca similitudinis præscindi nequeat: ergo à pari vita physica, & intentionalis, &c. Antecedens perspicuum est: quid enim re ipsa, & secluso nomine commune habet in ratione similitudinis cognitio, quæ est claritas quædam intentionalis cum similitudine physica, & prædicamentali, quæ nihil aliud est, quam coexistentia duarum rerum, quales demum cunque sint. Equidem summa similitudo intentionalis cum summa dissimilitudine physica coheret, vt cernere est in cognitione diuina, quæ intentionaliter summè similis est creaturæ, quam clarissime cognoscit, & perfectissime repræsentat; ei tamen physice dissimilima est, ab eaque infinite distat: è contrario verò summa similitudo physica interdum coniuncta est cum summa dissimilitudine intentionalis, vt cernere licet in complexo duorum lapidum, qui physice quidem summè similes sunt, intentionaliter tamen nullo modo similes, sed potius summè dissimiles sunt; eo quod neuter alterum *vt quo*, vel *vt quod* cognoscit: signum igitur est, vtramque similitudinem nullam habere proportionem, nullam vniuocam conuenientiam, sed potius diuersi generis, atque ordinis esse.

3. Secundum argumentum ita proponi potest: motus physicus, quo verbi gratia ignis calefacit, & motus intentionalis, quo intellectus cognoscit in ratione motus vniuocè non conueniunt: ergo nec vita physica, & intentionalis in ratione vitæ. Antecedens suaderetur: quia motus physicus calefactionis est dare esse calori, illumque producere: motus verò intentionalis est cognoscere aliquid, vel amare: at hæc duo præter communionem nominis, quid commune habent, aut præter quam quod ambo nomine motus appellantur, in quo re ipsa conueniunt? Aut si hæc conuenientia in re æquiuoca non est, quæ conuenientia solarum vocum censenda est? curne conuenientia canis cælestis, ac latrabilis solius nominis esse indicatur? quocirca omnes vtrumque motum æquiuocè in ratione motus conuenire arbitrantur. Neque verò dici potest, motum intentionalem in eo differre à physico, quod propriè motus non sit: cuius signum est, quod in Deum motus expertem cadere possit: ceterum vitam intentionalem non minus quam physicam propriè vitam esse; hoc, inquam, nihil dictum est: tum quia, quamuis vita intentionalis propriè vita sit, non propterea vniuocè conueniet cum vita physica: haud aliter ac canis cælestis propriè canis est, & appellatur, & tamen vniuocè cum cane latrabili canis non est: tum etiam quia verius, motum intentionalem verè, & propriè motum esse; siquidem cognitio verè, & propriè obiectum suum intellectui repræsentat, cum repræsentatio obiecti ab omnibus definiatur: at aliquid alicui repræsentari est vnum ad alterum moueri: ergo cognitio, ac

proinde motus intentionalis verè, & propriè motus est: pari ratione amor motus in obiectum verè, & propriè est, cum pro sequutio obiecti definiatur: quoties autem dicitur. Deus omnis motus expert, sermo est de motu physico, qui solus propriè mutatio, ac vicissitudo est; quæ in Deum cadere nequeunt.

4. Tertium argumentum sit: vita in actu primo, quam homo verbi gratia habet pro priori naturæ, antea quam quidquam cognoscat, aut amet, actuue vegetetur, est propriè vita: id quod omnes fatentur, & perspicue docent Aristoteles 2. de anima t. 37. ibi: *uiuere uiuentium est esse, cuius sanè causa est, vt constat, atque principium anima*, & B. Thomas 1. p. questione 18. art. 2. ibi: *Secundum hoc viuere nihil aliud est, quam esse in tali natura*. Deinde vita in actu secundo, qua homo actu cognoscit, & amare, actuue vegetatur, est etiam propriè vita, vt expresse docet Aristoteles 2. de anima t. 3. ibi: *vitam autem dicimus nutritionem, accretionem, atque decretionem, quæ quidem per id ipsum fit, quod viuere dicitur*. Id ipsum etiam docet 9. ethicor. & alibi sæpè, & de se perspicuum est, vt mirum videatur id negasse B. Thomam vbi supra. Tum sic: vtraque vita propriè, ac strictè vita est: at ab vtraque ratio communis vniuoca vitæ abstrahi minime potest, vt omnibus in confesso est; & merito, siquidem posse intelligere verbi gratia & actu intelligere; siue, quod perinde est, intelligere in actu primo, & intelligere in actu secundo longè diuersa sunt, neque enim in ratione vitæ vniuocam conuenientiam habent: ecquæ enim est vita illa vtrique vniuocè communis? non hoc, quod est intelligere, cum posse intelligere non sit propriè intelligere: non aliquid aliud, quia quid illud sit seclusa voce nullatenus explicari potest.

5. Quartum argumentum sit: vita nutritiua, siue vegetatiua propriè vita est, vt tract. 3. huius libri constabit; & vita etiam sensitiua, aut cognoscitiua propriè vita est: at ab vtraque ratio communis vniuoca vitæ præscindi nequit: ergo, &c. Minor suaderetur: quia vita vegetatiua penes propriam, & specificam rationem sumpta multo magis conuenit cum eo, quod vita non est, nimirum cum aggeneratione ignis verbi gratia, quam cum vita sensitiua: igitur vita vegetatiua vniuocè, & re ipsa non conueniet cum vita sensitiua, sed duntaxat æquiuocè, & in solo nomine: haud aliter ac canis cælestis, quia penes specificam rationem sumptus magis conuenit cum alio sydere, quod canis non est, quam cum cane latrabili, non potest vniuocè, & re ipsa conuenire cum cane latrabili in ratione canis, sed duntaxat æquiuocè, & in solo nomine. Antecedens suaderetur: quia vegetatio plantæ, & aggeneratione ignis in eo conueniunt, quod ratione vtriusque planta, & ignis alienam materiam prius alteratam, ac dispositam pristina forma substantiali spoliens, & propria forma substantiali eam afficiant; siue, quod perinde est, alienam substantiam in suam conuertant, conuersamque secum substantialiter copulent: nullaque alia vtriusque differentia est, nisi quod planta operetur per intus-sumptionem, vt aiunt, & substantiam, quam in se conuersura est, prius per poros attrahat;

hat; ignis verò non operetur per intussumptionem sed potius pabulum per meram iuxta positionem sibi præfens in se conuertat, ac secum substantialiter copulet: in qua differentia quam parum momenti sit, quis non conspiciat? At vegetatio planetæ à sensatione animali, & cognitione spiritali, aliaque quauis vita intentionali vsque adeò discrepat, vt inter mille discrimina vix sit inuenire conuenientiam vllam etiam virtutalem, & genericam.

6. Postremum argumentum sit: si daretur ratio communis vniouca vitæ ab omni vita in particulari abstrahens, quenam ea esset definiri, & explicari posset: at quenam sit, nullo modo explicari, aut definiri potest magis, quam quid sit canis, propterea à sydereo, marino, & latrabili præscindit, vt cap. tertio aperte conuincam. Confirmatur, & declaratur: quod ratio vniuersalissima entis tantumlibet vniouca explicari, ac definiri non possit magis, quam per se nota sit, oritur ex eo, quod non habeat genus se superius, per quod definiri possit, nempe substantiam, quæ in viuente, & non viuente diffusetur: cur ergo si vna ratio communis viuents abstrahi potest, ea definiri nequeat. Adde iuxta aduersarios non paucos nullum prædicatum vniouce de Deo, & creaturis dici posse, cum tamen Deus, & creatura proprie viuant.

CAPVT II.

Vita per eius partes explicatur.

7. Postquam in communi rationem æquiuocam esse, ac proinde vnicæ definitione indefinitam statuimus: reliquum est, vt eam per eius species multifariam explicemus. Vita ergo, aut est intentionalis, aut physica: intentionalis est, quæ aliquid intentionaliter in obiectum, quodcunque sit mouetur: aliaque est, quæ sentitur, aut intelligitur: alia, quæ appetitur, aut amatur: quarum vtræque à nobis, tum tract. vltimo huius libri, tum etiam decursu Metaphysicæ fusè explicabitur. Vita physica alia est, quæ aliquid substantialiter per intussumptionem augetur: alia, quæ aliquid progressiue mouetur, hoc est, quæ propria, ac naturali vi de loco in locum quaqua versus, & non magis in vnum, quam in alium ferri potest. Prior species vitæ physice in plantis, & animalibus locum habet, quorum omnes omnino partes innumeris poris variegatæ sunt, vt per eos humor alimentarius attrahi, distribui, & corriuari possit: omnes etiam ad eundem finem prædita sunt vi sugendi, & succum assimilandi, atque in suam substantiam conuertendi. Stupendum quidem, atque instar miraculi est quo artificio, atque ingenio id fiat, & per quot fibras, ac fistulas pabulum sensim attrahatur, & per omnes partes diffundatur. Hoc ergo genus argumenti substantialis per intussumptionem factam efficit, plantas & animalia viuere, ac differre à non viuents, quæ tamen substantialem, non tamen hac arte augentur.

8. Posterior vitæ physice species in solis animalibus ac spiritibus reperitur: eam autem esse propriam, ac formaliter vitam quæque progressiue mo-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

uentur, eo ipso viuere contra nonnullos Recentiores facile suaderi potest. Primum quia id perspicue docet Aristoteles 2. de anima cap. 3. ibi: *Atque potentias animæ diximus, nutritiuam, sensitiuam, appetitiuam, loco motiuam, atque intellectiuam.* Et cap. 4. ibi: *At vero constat, animam id etiam esse, unde primus motus ad locum accommodatus emergit.* B. Thomas 1. p. quæst. 76. art. 1. ibi: *Anima enim est primum, quo nutrimur, & sentimus & mouemur secundum locum; & similiter quo primo intelligimus.* B. Augustinus tom. 9. tract. 19. in Euangelium Ioan. ibi: *Nisi enim viueret (puta anima) corpus non moueret pedibus gressum, manibus opus, oculis intuitum, auribus auditum, non aperiret os ad vocem, linguam ad distinctionem vocum non moueret.* Chrysostomus tom. 4. super epistol. Pauli ad Philip. serm. 3. ibi: *Non viuo, inquit, communem vitam: quomodo ergo viuis? Beate Paule Solem non vides, communem hunc aërem non spiras? num cibis, quibus nemo non vescitur, non pascitur? num terram istam more nostro non calcas?* Athanasius in orat. contra idola ibi: *Motus animæ nihil aliud est, quam vita ipsius, & omnino corpus viuere dicitur, cum mouetur.* Et ne multis morer, Patres ferme omnes, & meliores quique Philosophi hanc sententiam amplectuntur, & hoc modo de motu progressiuo loquuntur: cum ergo vocibus, vt nummis vtamur, eaque id valeant, & significant, quod principales authores per ea significari volunt, nemini dubium esse potest, quin motus progressiuus vitæ nomine appellari debeat.

Quod autem P. Arriaga nobis aduersarius disp. 2. de anim. sect. 2. subiect. 4. docet, motum progressiuum esse duntaxat arguitiue vitam, facile refelli potest: tum quia Patres, & Scholastici proxime allegati eodem profus modo asserunt, motum localem esse vitam, ac sensationem, vegetationem, & intellectiue esse vitam, neque inter eam, & has functiones discrimen vllum assignant: quemadmodum ergo sensio, vegetatio, & intellectio non arguitiue tantum, sed etiam formaliter vita sunt: ita etiam motus progressiuus, non arguitiue, sed formaliter vita erit. Tum quia sicut dicitur, motum progressiuum esse arguitiue vitam, id est, non nisi argumentum infallibile vitæ: ita similiter dici posset, vitam sensitiuam esse tantum arguitiue vitam: nam sicut motus progressiuus nusquam & nunquam reperitur sine vita aliqua sensitua, aut intellectua: ita similiter motus sensationis nunquam, & nusquam reperitur sine vita aliqua vegetatiua, aut intellectua: cur ergo tantum arguitiue vita non appellatur, sicut de motu progressiuo aduersarij philosophantur.

Rursus: vita alia est in actu primo: alia in actu secundo; quæ cuiusmodi, qualeve sint cap. præcedenti satis explicatum est. Illud explicandum est quibus ambæ conueniant: quæ cum sit quæstio mere vocalis, quæ fieri poterit breuitate ab ea nos expediemus. In primis ergo quauis substantia completa, quæ vi sua nutrir, seu loco moueri potest, quæue cognoscere, & tamen sentire vel appetere potest, vita in actu primo, eaque substantialis, & præcipua dici debet: id quod omnes fatentur, & testimoniis Aristotelis, & Beate Thomæ capite præcedenti adductis liquido constat.

Gg 3 Pari

Pari ratione potentia animæ, videlicet vis nutritiva, locomotiva, sensitiva, &c. si à substantia animæ distinguantur, vitales in actu primo accidentario, siue vita accidentalis in actu primo proculdubio nominandæ sunt: id quod omnes etiam unanimi consensu fatentur. Præterea habitus naturales, quibus potentia animæ ad operandum coadiuvantur, vitales in actu primo appellandæ sunt: siquidem ideo potentia animæ vitales ut quo, atque in actu primo sunt, quia sunt virtutes, quibus anima vivit, hoc est, intelligit, amat, sentit, aliasque operationes exercet: at etiam habitus naturales sunt virtutes quædam variorum actuum vitalium exercitio ad eos iterum repetendos acquisite: igitur etiam vitales in actu primo non ut quod, sed ut quo censeri debent.

11.

Habitus etiam supernaturales vitales in actu primo; siue, quod perinde est, vitæ quædam accidentales in actu primo vocandæ sunt: siquidem in primis sunt potentia quædam simpliciter necessaria ad actus supernaturales, eorumque effectrices: igitur aut potentia naturales non erunt vitales in actu primo, aut certe habitus supernaturales etiam vitales nuncupari debent. Deinde multo magis perfectè concurrunt habitus supernaturales ad suos actus, quam habitus naturales: ergo cum ij sint vitales, & illi etiam vitales censendi erunt. Consequentia videtur perspicua, quia cum vitalitas sit perfectio ex genere suo, ut aliquid censetur vitale, aut non vitale, eius perfectio, aut imperfectio in operando magnopere spectandæ sunt. Antecedens verò suadet: quia habitus supernaturales sunt simpliciter necessarij ad suos actus, ad eosque non tantum facile posse, verum etiam simpliciter posse homini tribuunt: deinde actus supernaturales in genere causæ efficientis producant: at ex iis duobus alterum iuxta omnes, alterum verò iuxta non paucos habitibus naturalibus respectu suorum actuum minimè conuenit.

12.

Species etiam intentionales, siue impressæ, quæ obiecti vicariæ sunt, vitales in actu primo iudicandæ sunt: tum quia sunt virtutes mediis quibus anima operationes vitales exercet, ab iisque denominatur; quod autem ab obiecto emittantur, eiusque vicem suppleant, quid interest? Tum quia representatio formalis obiecti est vita in actu secundo, siue formalis, ut exploratum est: ergo representatio virtualis obiecti est vita in actu primo, siue virtualis: cum ergo species impressa sit representatio virtualis sui obiecti, vita in actu primo, siue virtualis non esse non poterit. Tum demum, quia cognitio vnius obiecti quatenus ducit intellectum ad cognitionem alterius est vitalis in actu primo: qua ratione B. Thomas 1. p. quæst. 16. art. 3. docet, assensum primorum principiorum vitaliter concurrere ad assensum conclusionis: ergo similiter species impressa quatenus ducit intellectum ad speciem expressam, siue cognitionem obiecti, à fortiori vita in actu primo censenda est; cum multo magis necessaria sit species impressa ad expressam, quam vna expressa ad aliam.

13.

Quæ de vita in actu primo hætenus disseruimus, adeo constantia non sunt: vitalitas namque habituum naturalium ab aliquibus Recentioribus, vitalitas habituum supernaturalium à plerisque, & vitalitas specierum intentionalium ab

omnibus negatur. Quocirca obiicies primò: ideo potentia animæ sunt vitales in actu primo, quia sunt virtutes naturales. debita animæ à primo instanti suæ productionis ad hoc, ut vitaliter operari possit: at habitus naturales non sunt virtutes debita animæ à primo momento suæ productionis, sed paulatim exercitio actuum comparantur: pro reliquis etiam instantibus non determinatè, quemadmodum potentia, sed indeterminatè tantum animæ debentur. Hinc à fortiori probari potest; habitus supernaturales non esse vitales in actu primo, cum neque sint virtutes naturales animæ, neque ei villo modo, aut pro villo instanti debeantur. Obiicies secundo: ut species intentionales, siue impressæ essent vitales in actu primo, eæ deberent esse, mediis quibus homo ab intrinseco operaretur: haud aliter ac mediis potentiis ab intrinseco operatur: at homo mediis speciebus non operatur ab intrinseco, sed ab extrinseco quodammodo; cum non ab homine fluant ut potentia, sed ab obiecto extrinsecus emittantur, & non nomine hominis, cui insunt, sicut potentia, sed nomine obiecti concurrant. Confirmatur: quia species impressa suapte natura est indifferens, ut sit in supposito viventi, aut in supposito vitæ experti: species enim visualis per aëra funditur, priusquam ad potentiam deveniat: ergo species impressa non est vitalis ut quo, siquidem vita ut quo suapte natura debet esse connexa cum vita ut quod, siue supposito vitali, ut in potentiis animæ conspiciere est.

14.

Obiicies tertio: si non solum potentia animæ, verum etiam habitus naturales, habitus supernaturales, ac species intentionales essent vitales in actu primo; pro eo ac assensum, nulla res mundi esset, quæ vitalis in actu primo non esset, cum nulla sit, quæ animam ad actus vitales quodammodo iuvare nequeat: cur lapis, aut lignum, ignis, aut aqua, aliudve quodvis elementum, aut mixtum ad sensationem tactus (si ad hanc, ut aliqui putant, non requiritur species) immediatè concurrens vita in actu primo non sit? cur cælum, aut terra, aut quævis alia res media specie sui, quam immittit ad sensationem, aut cognitionem sui vitalem concurrens eo ipso vitalis in actu primo non sit? haud secus ac eo solo nomine habitus naturales, ac supernaturales, speciesque impressæ vitales censentur: quod autem eiusmodi concursus rerum omnium in aliquam operationem vitalem mediatum sit, non potest ob stare, cum homo vitalis in actu primo sit tantum mediatè, videlicet mediis potentiis iuxta complures concurrat ad eos actus, quibus vivit. Consequens autem absurdum est, quia suprà initio cap. præcedentis, vitam omnibus rebus minimè conuenire tanquam certum, & indubitatum statuimus. Obiicies quarto quem admodum habitus naturales, & supernaturales, speciesque intentionales ad actum vitalem concurrunt ita: similiter habitus naturales, & supernaturales, speciesque intentionales non impressæ, sed expressæ ad actum liberum immediatè concurrunt: at liberi in actu primo non sunt, cum iuxta omnes libertas in actu primo solius voluntatis prærogativa esse videatur: ergo similiter in præfenti, &c.

15.

Verum ad primum respondeo, negata maiori, si particula, ideo, præcisè sumatur: quemadmodum enim anima est vitalis in actu primo. quin sit virtus naturalis, aut debita sibi ipsi superaddita,

vt

ut compertum est: ita enim habitus naturalis, & supernaturalis poterit esse vitalis in actu primo absque eo, quod virtus vel naturalis, vel debita animæ sit. Et ut alio exemplo vram, quemadmodum cognitio, & amor præsertim supernaturales, quin debeantur animæ, eamque naturaliter afficiant, vitales in actu secundo sunt: ita similiter habitus naturalis, ac supernaturalis poterunt esse vitales in actu primo, quin animæ debiti sint, eamque naturaliter afficiant. Ad secundum argumentum respondeo: vita intentionalis in actu secundo non consistit in operatione ab intrinseco: alias Deus vitæ intentionalis expers esset; sed in actu, qui sit agnitio, & amor, ac denominationem cognoscentis, atque amantis impertiat. Vnde quamvis per speciem intentionalem intellectus non operetur ab intrinseco, sed quodam modo ab intrinseco, cum tamen vi illius cognoscat, & intelligat, poterit illa esse vitalis in actu primo. Ad confirmationem respondeo: sicuti calor humani corporis vitalis dicitur, tamen si extra illud in supposito non vitali esse possit; eo quod a calore elementari specie non distinguatur ita similiter species impressa quantumlibet extra suppositum vitale naturaliter esse nequeat, tamen hic & nunc vitalis utique erit, cum potentiam vitalem intrinsece compleat, & coadiuvet.

16. Ad tertium argumentum respondeo: vita in actu primo alia est substantialis, & ut quod, videlicet substantia completa, cognoscitiva, aut volitiva, vel etiam vegetativa, aut loco motiva, ut sæpe sæpius ostensum remaneret: alia est vita in actu primo, & accidentalis, & ut quo; quæ ut ex ipso vocis ethymo constat, prioris vitæ, nimirum substantialis, accedens aliquod intrinsecum esse debet: haud secus ac vita accidentalis alicui substantiæ viventi intrinsece accidere debet, ut omnes fatentur: cum ergo non omnis res mundi eiusmodi substantia completa, aut aliquod eius accedens intrinsecum sit; ad modum, quo habitus naturales, ac supernaturales: nec non species intentionales talis substantiæ accidentia intrinseca sunt: non conspicio quatenus ex eo, quod prædicti habitus, speciesque sint vitales in actu primo, sequatur omnem rem mundi illico vitalem esse.

17. Ad quartum argumentum respondeo: libertas in actu primo duplex est: alia namque est facultas, quæ potest amare, aut non amare, sed potius odire: alia vero, quæ eiusmodi facultatem ad alterutrum libertatis exercitium proximè complete & expedit. Prior libertas in actu primo est principalis, posterior vero minus principalis: prior libertas non solum est indifferentiæ, verum etiam spontanei, ut aiunt: posterior est solius indifferentiæ. Prior libertas est ut quod, præsertim si voluntas ab anima non distinguatur: posterior est ut quo duntaxat. Demum prior libertas in actu primo est radix posterioris, & non è contrario: siquidem voluntas postulat prærequisita ad actum liberum: hæc autem non postulant voluntatem, sed eam supponunt: libertas ergo in actu primo priori modo sumpta est prærogativa solius voluntatis, in eamque duntaxat convenit: secus vero libertas posteriori modo sumpta; quæ non est cur in habitus naturales, ac supernaturales, aliaque voluntatis principia non conveniat; ac proinde etiam vitalitas in actu primo ea ratione sumi potest, ut in habitus naturales, ac supernatu-

rales, speciesque impressas non incongruat. Et hæc de vita per modum actus primi. Quibus autem vita per modum actus secundi conveniat, operosum admodum non est, ex dictis definire: siquidem solum exercitium potentia nutritiva, loco motiva, cognoscitiva, aut appetitiva vitæ in actu secundo nomen, rationemque merentur: id quod supra cap. præcedenti Aristotelis, & Beati Thomæ testimoniis luculenter ostendimus.

Vita rursus, alia est intrinseca, & essentialis, quam supra multis exemplis explicuimus: alia extrinseca, & accidentaria, quæ iis congruit, quæ vivunt per denominationem à vita alterius rei, à qua causantur, vel causari possunt: sic omnes creaturæ etiam vitæ expertes, extrinsece tamen in Deo, à quo causantur, & in cuius vita continentur, vivere dicuntur, iuxta illud Ioannis: *quod factum est in ipsa vita erat*: sic terminus actionis nutritivæ cum sit intrinsecus, & essentialiter eiusdem speciei cum termino actionis generativæ, qui absolute vitalis non est, extrinsece tamen denominatur vitalis ab actione vegetativa, seu intuitiva, per quam hic & nunc producit: sic ubicatio per motum progressivum producta cum intrinsece, & essentialiter vitalis non sit, & per impulsus extrinsecum modo mortuo produci poterit, tamen ab actione facultatis loco motivæ vitalis denominatur: sic demum, quod plus est, ipsa actio nutritiva essentialiter, & intrinsece nutritiva, ac vitalis non est, ut contra Hurradum disput. 3. de generat. & corruptione, sect. 5. in hunc modum ostendo: non magis differunt potentia nutritiva, ac generativa, quam potentia libera, ac necessaria: sicut enim potentia nutritiva, ac generativa habent diuersa organa, ac diuersas dispositiones postulant: ita potentia libera, & potentia necessaria diuersas dispositiones, diuersa prærequisita, & quasi diuersa organa suo sibi iure vendicant: at hoc non obstante actio libera non est intrinsece, & essentialiter talis, quinimo necessaria suapte natura esse potuit: ergo similiter actio nutritiva, & vitalis, &c. Tandem, vita alia est creata, quæ creatura vivit: alia increata, quæ creator vivit, non eminentialiter solum, ut nonnulli ausi sunt asserere, sed formaliter, ac propriè, ut constat ex Apocalypsis 5. cap. ibi: *adorauerunt viventem in sæcula sæculorum*: aliisque Scripturæ locis, in quibus Deus per antonomasiam vivens appellatur.

CAPVT III.

Aliorum sententia referuntur, & refelluntur.

19. QVæ rationem communem vniuerſam ab omni vita, præsertim creata, abstractam ruen-
tur, in ea explicanda parum consentiunt. Prima, & vetustissima Stoicorum sententia est, vitam ut sic in motu intentionali, cognitione videlicet, & amore sitam esse; plantas autem proprie non vivere quantumlibet vegetentur. Cæterum hæc sententia infra tract. 3. fusè impugnabitur. Secunda sententia est Thomistarum asserentium vitam ut sic consistere in motu ab intrinseco, siue in operatione immanenti. Verum in primis iuxta hanc sententiam omnis essentia creata viveret,
G g 4 cum

cum nulla sit, quæ suas proprietates immanenter non operetur, ad easque ab intrinseco non moueatur, vt lib. 4. ostensum manet, cum de causa, efficien- ti creata sermo nobis esset. Deinde iuxta eam sententiam graui- , & leuia viuerent, cum immanenter operentur, ac sursum, ac deorsum vi sua moueantur: tum quia id expressè docet Aristoteles 4. de cælo text. 24. ibi: *grauē, & leuē in se- ipsis mutationis principium habere videntur; illa uerò non in se ipsis, seu sanabile, & accrescibile.* Tum quia quod aiunt Thomistæ, graui- , & leuia non à se ipsis, sed à generante in sedes sibi cog- natas moueri, manifestè refelli potest, siquidem, cum lapis v. g. in centrum descendit, generans in- terdum absolutè non est, interdum propè non est: cum ergo omnis actio causam existentem, & ap- proximatam postulet, non poterit quidem motus lapidis in generans refundi. Tum quia, quod alij ex Thomistis docent, graui- , & leuia à se ipsis quidem moueri, non tamen nomine proprio, sed alieno, videlicet generantis quod iis grauitatem ac leuitatem, quibus feruntur, primò contulit, atque ingenerauit: qua ratione si quis proiciat lapidem sursum, lapis non mouebitur nomine proprio, sed nomine solius proicientis, atque imperum imprimantis: hoc, inquam, etiam non satisfaciunt, nam etiam anima, iuxta Thomistas, operatur immanenter mediis potentiis, quas eius causa ei ingenerauit; ac proinde non nomine proprio, sed alieno; & tamen viuunt toties, quoties mediis potentiis vitalibus immanenter opera- tur. Rursus: primus actus liberi arbitrij Angelici eius creatori attribuitur; & non nomine proprio, sed alieno fit iuxta Thomistas, qui ob id Ange- lum in primo instanti peccare non posse tuerentur, ne videlicet tale peccatum Deo tribuatur: at eiusmodi actus vitalis est: ergo descensus la- pidis tamen nomine generantis fiat, vitalis erit, si semel vita in motu ab intrinseco constituatur.

20.

Tertia sententia est: viuens vt sic esse, quod postquam est constitutum in statu sibi connatu- rali, ac debito ab intrinseco, moueri, ac imma- nenter operari potest. Ita cum Molina, & Suarez communiter nostri Authores. Verum in primis iuxta hanc sententiam Deus propriè, ac formaliter viuere non poterit, cum ab intrinseco moueri; siue, quod perinde est, intrinsece mutari, non nisi summa cum improptietate possit: vita ergo in motu ab intrinseco consistere nequit, tamen si statui debito, & connaturali superueniat. Rursus iuxta hanc sententiam, ignis quoties vires sumit & substantialiter augetur, non poterit non viuere, cum ab intrinseco moueatur, etiam postquam in statu sibi connaturali, ac debito constitutus est; & non solum alium ignem, verum etiam eius vnionem sibi intrinsecam, atque in se manentem producat. Istis duobus argumentis etiam Thomis- tarum opinio oppugnari potest. Præterea An- gelus per cognitionem, qua se ipsum cognoscit, formaliter viuunt: & tamen iuxta non paucos Theologos eiusmodi cognitio est Angelo à pri- mo instanti suæ productionis debita; ac proinde statui eius connaturali, ac debito non superuenit: necesse ergo ad vitam non est, vt reiam connatu- raliter constituta superueniat: quidquid autem sit de Angelo negari nequit, quin possibilis sit substantia intellectiua, cui cognitio sui, vel alte- rius obiecti debita sit: quæ enim in eiusmodi sub-

stantia implicatio inuoluitur: at in ea idem argu- mentum formari potest.

Vltius Deus per intellectiōem necessariam qua se ipsum conuocatur, formaliter viuunt: talis intellectio cum non supponit constitutum in statu sibi connaturali, ac debito: ergo eiusmodi suppositio ad vitam necessaria non est. Minor, quæ probationis indiga est, suadetur: nam talis intellectio, iuxta plerisque Theologos, est ipsa essentia Dei: at essentia Dei Deum nec naturaliter nec non naturaliter constitutum supponit. Deinde tamen Deus non intellectiōe, sed principio intellectiōis essentialiter, & quidditatiue con- stituatur, adhuc vis argumenti eadem remanet: siquidem ea intellectio, licet statum quidditati- uum, & essentialē Dei non constituat, sed sup- ponat, tamen eius statum connaturalem, ac debi- tum constituit, cum sit summè necessaria Deo, ac multo magis, quam nulli essentia creatæ eius proprietates necessariae sunt. Quod autem non nulli respondent, Deum ante intellectiōem ne- cessariam supponi cum omni perfectione entita- tiua sibi debita; neque per eam magis intensiue perfici, ac proinde per eam viuere, nullo pacto satisfacit: nam quemadmodum amor creatus co- gnitionem supponit; ita etiam amor in creatus cognitionem supponit: ergo similiter quemad- modum vita creata in actu secundo supponit rem cum omni sua perfectione non solum intensiua, verum etiam extensiua sibi debita, & connaturali: ita similiter vita increata. Vnde intellectio neces- saria Dei omnem eius perfectionem intentionem, non vero omnem extensiua ei debitam suppo- nens, vita esse non poterit, si huic sententiæ stan- dum est.

21.

Quarta sententia est, *viuens esse, quod habet prædicatum ab intrinseco per se speciali titulo ab- strahente à ratione perfectionis debita.* Particula *ab intrinseco*, siue à se denotat, prædicatum illud, quod vita est, non esse ab agente adæquato ex- trinseco, qua ratione non solum creatura, verum etiam creator quantumlibet omnis mutationis expertus à se, siue ab intrinseco habet, quod cog- noscat v. g. cum eius cognitio non sit ab agente adæquato extrinseco. Particula, per se, deuorat prædicatum illud, quod vita est, ita ab intrinseco esse debere, vt resultare nequeat ex quacunque approximatione duorum eiusdem rationis: quo fit, vt ignis, aggenerans per aggenerationem, siue productionem vnionis cum igne à se producto minime viuatur, quia licet hic & nunc ea vnio à so- lo igne aggenerante, non vero ab aggenerato producat; haud aliter ac vnio animi rationalis à Deo, vel certè aggenerante, non ab ipso animo reali producat; tamen sola approximatione vtriusque ignis, & esto neuter ab altero produce- retur, ea vnio resultare, & ab vtroque igne produ- ci posset. Titulus ille specialis in definitione posi- tius facilis intellectu est: est enim quicumque, & qualiscunque titulus præter illum actionis in- trinsecæ, siue perfectionis intrinsecæ transcen- dentaliter, & communissime sumptæ: intrinsecæ, inquam, id est postulantis ab intrinseco proueni- re. Hoc quod est *abstrahere à ratione perfectionis debita*, aded est manifestum, vt explicatione non indigeat. Merito huius postremæ particule Deus per intellectiōem etiam necessariam viuunt, quia quantumcunque perfectio necessaria, ac debita sit, tamen est ab intrinseco speciali titulo abstrahente

22.

hente è ratione perfectionis debita; id est, titulo cognitionis diuinæ, siue à qua Deus cognoscens denominatur: qui titulus specialis est, & abstrahit à ratione perfectionis debita, cum Deus plures cognitiones habeat, quæ ei debita non sunt; imò quæ iuxta complures nullo modo perfectiones sint, videlicet intellectiones liberas. In summa nullum est viuens, cui hæc definitio non conueniat; nullum non viuens, cui conueniat, ut inuenienti constabit.

23. Impugnatur tamen hæc sententia: quia iuxta definitionem illam propositam non daretur ratio communis vniuoce vitæ, Deo, & creaturæ: quod & falsum est, & ab ipsis aduersariis non admittitur. Sequela probatur: quia Deus, & creatura non conueniunt vniuoce in hoc, quod est habere prædicatum ab intrinseco per se: ergo nec in ratione vitæ. Antecedens suadetur: nam Deus habet cognitionem v. g. ab intrinseco negatiue tantum, id est, non ab alio: creatura vero habet cognitionem suam ab intrinseco positiue, cum Deus cognitionem suam absolute non producat, creatura vero suam producat: at esse ab intrinseco non est ratio communis vniuoce ad esse ab intrinseco positiue, & esse ab intrinseco negatiue: sicut iuxta aduersarios esse absolute non est ratio communis vniuoce ad esse, posse positiue, & esse negatiue. Neque valet, tam creaturam, quam creatorem habere prædicatum ab intrinseco negatiue, id est non ab agente adequatè extrinseco: à duplici autem prædicato negatiuo rationem communem vniuoce prædicati negatiui abstrahi posse; ac proinde esse ab intrinseco negatiue Deo, & creaturæ vniuoce conuenire, sicut oportet ad hoc, ut vita iis vniuoce communis sit: hoc, inquam, facile confutari potest: nam tota res eodem resoluitur; si enim attente inspicitur, creatura non negatiue, sed positiue habet ab intrinseco quodcunque prædicatum à se habet; siquidem ideo creatura habet prædicatum aliquod, & non ab agente adequato extrinseco, quia illud à se, tanquam à causa inadequate habet, illudque positiue producit: & hoc posterius idem prorsus est, ac illud prius.

24. Secundò ea sententia impugnatur, quia iuxta eam Deus non solum per cognitionem, & amorem, sed per omnipotentiam, immensitatem, & quoduis aliud attributum viueret: siquidem habet omnipotentiam à se, siue ab intrinseco, ac per se, ut manifestum est: necnon speciali titulo abstrahente à ratione perfectionis debita: videlicet titulo prædicati diuini: qui vna ex parte abstrahit proculdubio à ratione perfectionis debita; eo quod Deus plura prædicata sibi indebita, videlicet libera, & contingentia sortiatur; alia verò ex parte specialis esse negari nequit: tum quia prædicatum diuinum, in quo fundetur, singularissimum, ac specialissimum est: tum etiam quia non est titulus perfectionis, aut actionis in communi postulantis ab intrinseco prouenire: quibus autem titulus ab hoc distinctus ab aduersariis specialis censetur. Consequens autem tamen à recentioribus non paucis admittatur, absurdum esse suaderetur. Primò quia si per impossibile Deus neque esset cognoscitiuus, neque esset volitiuus, nullo modo viueret, sed esset tanquam *Dij gentium*, de quibus *Dauid*: *Os habent, & non loquuntur, oculos habent, & non vident*, &c. Ergo de facto per eas formalitates, quibus neque in actu primo, neque in actu secundo cognouit, aut amat; per eas,

inquam, minime viuet. Secundò quia non magis attinet ad infinitam, omnique ex parte incomprehensam perfectionem Dei, quod viuatur, quam quod omnipotens, sapiens, iustus, immensus sit: at non obstante infinita Dei perfectione; non omne eius prædicatum est formaliter, ac ratione nostra omnipotentia, sapientia, iustitia, aut immensitas, sed duntaxat realiter: ergo similiter ea non obstante non omne prædicatum Dei erit formaliter, ac ratione nostra vita, sed duntaxat realiter: idque non aliud ex infinitate Dei, & eius supra creaturas dignitate colligi poterit. Tertiò: quia si proprietas diuinæ essentia est vita in actu secundo perfectissima, & diuina; cur proprietas creatæ essentia vita in actu secundo imperfecta, & creata non sit haud aliter ac quia diuina essentia est vita in actu primo perfectissima, & diuina; aliqua etiam essentia creata vita in actu primo imperfecta, & creata est. Quartò demum, quia vita ab Aristotele, & reliquis Philosophis tantum quadrifariam diuiditur, nimirum in nutritiuam, cognoscitiuam, & appetitiuam, vel in actu primo, vel in actu secundo: quod si vltius aliud genus vite pro libito comminiscamur, nullus erit viuentium numerus certus, aut ratas: at quoduis attributum Dei nec est formaliter facultas nutritiua, aut loco motiua nec cognoscitiua, aut appetitiua, harumve facultatum exercitium, ut certo certius.

25. Tertiò ea sententia impugnatur: quia iuxta eam lapis v. g. per motum deorsum propriè viueret: siquidem lapis habet motum illum ab intrinseco per se, ut perspicuum est, nec non etiam speciali titulo, videlicet titulo motus deorsum, qui non solum abstrahit à ratione perfectionis; verum etiam, quod plus est, non est realiter & à parte rei perfectio debita lapidi: nam lapidem moueri deorsum imbut in se hoc, quod est, lapidem esse extra centrum; esse autem extra centrum non est perfectio debita lapidi, eive connaturalis, sed perfectio ei indebita, & eius natura minime consentanea: quod vero facta aliqua suppositione, & lapide extra centrum collocato motus deorsum ei debitus sit, parum inuat: quæuis namque cognitio Angelum cognoscentem denominans facta aliqua suppositione, & positis omnibus prærequisitis ad eam eliciendam Angelo debita, ac necessaria est; & tamè titulus cognitionis Angelum denominantis est titulus abstrahens à ratione perfectionis debita, sicuti ad vitam oportet: id quod aduersarij ipsi docent, ut cognitionem Angelicam circa se ipsum vitalem esse tucantur: similiter ergo motus lapidis deorsum, tametsi secundum quid & facta aliqua suppositione ei debitus sit, absolute tamen à ratione perfectionis debita abstrahit, quemadmodum ad vitam oportet.

26. Quartò ea sententia impugnatur: quia possibilis est materia prima, cui hæc specie quantitas determinate debita non sit, sed hæc, vel illa: haud aliter ac ei hæc, vel illa specie forma indeterminate tantum debetur. Quo constituto, sic argumentor: materia illa prima per productionem immanentem suæ quantitatis non viuit, ut exploratum est: & tamen habet quantitatem ab intrinseco per se, ut negari nequit; & speciali titulo, id est, titulo quantitatis materiam mensurantis: nec non titulo abstrahente à ratione perfectionis debita: nam quantitas materiam illam afficiens ei determinate debita non est: quod autem ei inde-

terminatè

terminatè debita sit, non tollit rationem vitæ: aliàs Deus per scientiam liberam, qua Antichristum futurum videt, minimè viuere: siquidem illa indeterminatè ei debita est, idest, illa, vel alia, qua Antichristum non futurum videret.

27.

Quinta sententia est P. Hurtadi disp. 3. de anima sect. 2. viuens esse, quod producit terminum immanentem non vtrunque, sed ob exigentiam innatam, qua terminus immanens ab intrinseco produci postulet: quo fit, vt essentia per proprietates, quas immanenter producit, minimè viuatur; eo quod ab essentia, cui immanent, produci non postulent, & de se indifferentes sint, vt ab intrinseco, vel ab extrinseco producantur. Verum in primis, cum naturaliter fieri nequeat, quin proprietates ab essentia fluant; quantitas v.g. à materia aliquid exigere debet, vt ita fluant: cum ergo non sit potior ratio, vt id exigit materia, quam quantitas ob reciprocā, & æqualem connexionem materiæ cum quantitate à se fluente, & quantitatis cum materia eam producente; certè tam materia, quam quantitas talem quantitatis fluxum, & quasi emanationem à materia postulat. Deinde terminus actionis nutritiæ, cum sit eiusdem speciei cum termino actionis primò generatiæ; & alteruter sit caro, & sanguis v.g. non postulat terminus prioris actionis magis proficisci ab intrinseco, quam terminus posterioris actionis: vnde si defectus eius exigentiæ vitalitati obstat; eoque nomine essentia per productionem proprietatum non viuatur; sanè animal, aut planta per nutritionem viuere nequebunt. Tandem: actio immanens per quam proprietates produciuntur, postulat prouenire ab intrinseco; cum nò diuinitus fieri possit, vt ab extrinseco proueniat: igitur essentia per eam actionem viuatur, vt vt per ipsam proprietatem nulla exigentia secum connexionem minime viuatur.

28.

Sexta sententia est, substantiam viuentem esse, quæ non est determinata ad vnum à generante, sed indifferens ad oppositos actus immanentes: etenim Deus, Angelus, & homo cum mente, ac libertate præditi sint, affirmare, vel negare, amare, vel odisse possunt: belluæ etiam tametsi in iisdem rerum circumstantiis nunquam non immanenter eodem modo operentur, eo quod libero arbitrio careant: tamen mutatis circumstantiis diuersos, & oppositos actus immanentes eliciunt, & fame modò, modò siti, nunc ira, nunc voluptate, interdum metu, & nonnunquam pudore tanguntur; & quidquid de his, ac similibus passionibus, quas belluis perperam negat Seneca lib. 1. de ira c. 3. & 4. [certè eodem indice impetus habent fera, rabiem, feritatem, incursum, nec non affectus iis oppositos, vt paulo infra explicat ibi: cito cadunt, mutantur in contrarium, & cum acerrimè senierunt expaueruntque, paucuntur, & ex fremitu, discursuque vesano statim quies, soporque sequitur. Plantæ etiam oppositos actus immanentes efficiunt: modò enim vnionem continuatiuam partium suarum, modo vnionem earum terminatiuam produciunt: deinde ramos, folia, &c. non sine immanenti efficiunt: in incremento, vel decremento partium, quæ in suo esse immutata manent, oppositos motus locales subeunt; & vel comprimuntur, vel dilatantur, ac versus oriens, vel versus occidens, aut aliorsum mouentur: in iis vero substantiis, quæ non viuunt, omnia alia vsuenerit, &

hanc operationum immanentium varietatem locum non habere experimento constat.

Contra tamen: quia si daretur substantia vnus obiecti, & vno duntaxat modo cognoscitiua, ea procul dubio intentionaliter viuere: & tamen ad oppositos actus immanentes nullam indifferentiam haberet. Deinde lapis descendere in centrum diuerso tramite potest, si à diuersis locis libere demittatur; & eodem etiam tramite descendens, diuersa tamen celeritate, ac celerius in fine quam in medio, aut in principio proruit: igitur ad oppositos actus immanentes indiueris circumstantiis absque vllò genere vitæ indifferens est. Præterea ignis modo punctum terminatiuum, modo continuatiuum priori oppositum in se immanenter producit, prout ignis ei contiguus existit, vel non existit.



TRACTATUS II.

De Vita corporis.

CAPVT PRIMVM.

Qua corporis partes animentur, siue viuificentur.



ITA corporis nihil aliud est, quam anima corporis: quæ ab Aristotele in hunc modum definitur: *est actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis: actus primus*, idest substantialis, & non accidentarius: *corporis*, idest materiæ primæ: *physici*, idest corporis non mathematici, aut artificialis, sed naturalis: *organici*, idest habentis organa, siue instrumenta, hoc est, variorum accidentium, ac dispositionum multiplicem apparatus ad varias operationes eliciendas: *potentia vitam habentis*, idest habentis instrumenta idonea non vtrunque, sed ad operationes vitales eliciendas. Multa hinc Recentiores de significato eius particula *corporis*, aliarumque antecedentium, & consequentium: verum me iudice manifeste inuicilia, & vocalia sunt, & non tam philosophica, quam theologica, & ex materia de Eucharistia magna ex parte transcripta, iis ergo omittis quætionem propositam aggredior.

Assero primò: Sanguis Humanus anima rationali informatur: ira Toletus in libris de anima. Hurtadus disp. 1. ibid. sect. 1. Arriaga ibid. etiam disp. 1. sect. 9. subsect. 2. Caietan. Conradus, Medina, Syluester, Henricus, Hispalensis, & non pauci ex Medicorum, ac Philosophorum schola. Assertio suaderetur primò: quia ideo anima rationalis informat partes solidas corporis, carnem videlicet, & ossa, quia sunt veræ partes hominis, & ad humanæ naturæ constitutionem attinent: etiam sanguis (eademque est ratio de reliquis tribus humoribus) est vera pars hominis, & ad humanæ naturæ constitutionem attinet: ergo anima rationalis eum informat. Maior perspicua est: non enim ideo anima rationalis carnem, & ossa informat, quia in iis apparet operatio aliqua animi rationalis propria, quæque ab anima solum sensitiua, aut vegetatiua proficisci non possit: ideo ergo

præcise